


**05
A
2391**



T I T L E

*Ex Practicâ Philosophia
de
Liberalitate & Magnificentia,
PRÆSIDE
M. MICHAEL WENDELO,
Facult. Philos. Adjuncto,
disputare conabitur
HECTOR PHILIPPUS Weisse
von Limburg/
*In Auditorio minore ad d. 16. Octobr.**

*WITTEBERGÆ
Excudebat MICHAEL WENDL.
Anno d^r 16 CXXXIX.*



V I R I S

**NōBILISSIMIS, admodum Reverendo,
Amplissimis, Consultissimis, religiosa pietate,
singulari prudentiâ, multoq; rerum usu Ex-
cellentissimis, Clarissimis & Pre-
stantissimis:**

Dn. JOHANNI PHILIPPO Weisse von Limburg/
Reipubl. Francofurt: ad Mœnum Scabino &
Senatori &c.

Dn. HECTORI WILHELMO von Günderot/
Reipubl. Francofurt: ad Mœn: Scabino, Senatori
& p. t. Consuli Seniori:

Dn. HEINRICO TETTELBACHIO, SS. Theol. D.
Eccl. Evangel. ibidem venerando Seniori:

Dn. CHRISTOPHORO von Kotleben / zu Sate-
tarinda &c.

Dn. JACOBO MARQUARDO von Glauburg/
Senatori:

Dn. JOAN-HECTORI von Kolhausen/

Dn. HIERONYMO ULRICO von Newhausen/

Dn. ACHILLI SIGISMUNDO von Glauburg/

Dn. ACHILLI LUDOVICO von Glauburg/

Dn. JOAN-JACOBO IMLINO:

Dnn. Parenti, Cognatis, Affini, Fautoribus &
amicis suis debite & observantia cultu et
tem colendis & venerandis,
Primitias hascé Academicas
Honoris & Amoris E.

dicat & dedicat

Hector Philippus Weiß von Limburg.



05 A 2391

Præloquium.

Virtutum Moralium officium est non tantum animum, verum etiam corpus refranare, rationisque dominio subjecere. Hinc quedam versantur primario circa corpus, secundario circa animam. Fortitudo & Temperantia circa exteriores in corpore conspicuos affectus versantur; & una belli, altera pacis tempore Reipub. cum primis est necessaria. Sunt & aliae virtutes, que incommuni vita & alios respiciunt & affectus internos, corpus & animum afficiunt atque appetitum divitiarum & honorum informant: utpote Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas & Modestia. Hac vice de Prioribus erimus acturi; quarum consideratio meritò magni est facienda. Nam occupatae sunt circa divitias & opes, Reipub. rerum gerendarum nervos. Ut autem nervus, si nimium intenditur, vel frangitur, vel ad minimum debilitatur; ubi vero plus & quo remittitur, planè inutilis redditur: Ita est etiam comparatum cum opibus, quas si vel prodigimus, vel nimium constringimus, omnis barum perit usus. Igitur cum vix ullius rei major sit abusus, atque pecuniae, docendum est nobis hic, quomodo opibus nostris moderatè & ad emolummentum Reip. uti debeamus.

Theses.

1. §. Liberalitas est virtus moralis, quae servat mediocritatem in dandis & accipiendis pecuniis. Geminum est hujus virtutis objectum: internum atque externum. Internum est ipsa numismorum & divitiarum cupiditas, quam Liberalitas moderari debet. Externum sunt pecuniae. Hac autem voce non tantum intelliguntur monetæ Regis aut Principis alicujus sigillo signatae, quâ in emendo & vendendo utimur; sed etiam omnes reliquæ opes, divitiae & possessiones, quarum pretium solet pecuniâ sive nummis

estimari: ut sunt domus, agri, prædia, supellectilia, & omnia alia, quorum ad vitæ hujus sustentationem aliquis est usus.

2. §. Quòd autem pecuniæ sint verum & legitimum Libera-
litatis objectum, patet. Propter quam rem Liberalis præcipuè
laudatur, circa eam Liberalitas versatur. Propter rectam tracta-
tionem pecuniarum, quæ consistit in dando & accipiendo, Libe-
ralis præcipuè laudatur. Probatur hoc per remotionem: Libe-
ralis enim non laudatur propter administrationem rei bellicæ,
nec propter abstinentiam voluptatum &c. sed ob rectam pecu-
niarum tractationem. Ergò:

3. §. De extremis non dicam, cùm & hæc circa pecunias
versentur. Avaritia dicitur de iis, qui nimium dediti sunt pecu-
niis, & in accipiendis divitiis modum excedunt. Prodigalitas de
iis, qui suas pecunias & opes profundunt, perdunt, modumque
in dandis & erogandis nummis excedunt. Hinc sequitur, quòd
& Liberalitas versetur circa nummos, quia convariorum est eadem
mtio: seu, ut alii loquuntur, quia Medium atque Extrema versan-
tur in eadē materia.

4. §. Hæc præter & à causâ efficiente, si opus esset, posset de-
monstrari, quòd hæc ipsa virtus rectum ostendat pecuniarum u-
sum. Notandum autem hic, pecunias esse duūm generum; aliæ
enim parvæ; aliæ magnæ sunt. In prioribus Liberalitas, in poste-
rioribus Magnificentia est occupata. Neque tamen in illis ver-
satur Liberalitas simpliciter, sed ratione dationis & acceptio-
nis: scilicet sub illis conditionibus, quarum jam mentionem facturi
sumus.

5. §. Ex his officiis viri liberalis, seu propriæ Liberalitatis
actiones facile cognoscuntur, quæ sunt dare & accipere. In u-
troque se liberalis se rectè gerere debet. Ut autem datio rectè in-
stituatur, duo circa eam observabis: 1. Finem, propter quem da-
tur. 2. Modum, quo pacto sit dandum. Finem quod attinet,
monet Philosophus, ut elargitio fiat solius honestatis gratiâ; quia
videlicet honestum est bonis beneficium præstare.

6. §. Hic fuit finis generalis, qui in omnibus virtutum actio-
nibus præcipuè spectari solet. Ex quo rectè infertur, eos, qui
non

non propter honestatem, sed propter quincunque alium finem
nummos erogant, non esse liberales: cuiusmodi sunt 1. Illi, qui
inanis gloriæ aut ostentationis gratiâ in alios beneficia confe-
runt, de quibus Suada illa Romana, Cicero lib. 2. officiorum ita
ait: *Videre sic et plerosque non tantum naturâ liberales, quam quâ-
dam gloriâ ductos, ut beneficii videantur, facere multa, quæ ab osten-
tatione proficiunt magis, quam à voluntate videntur.* Sed talis simu-
latio vanitati est conjunctior, quam aut Liberalitati aut honesta-
ti. 2. Illi, qui quæstûs aut lucri gratiâ aliis beneficia præstant,
ut majora indè dona accipiant. Hi ex Liberalitate faciunt mer-
caturam: Non autem fœnoranda, sed danda sunt beneficia, nec
magni & boni animi proprium est, fructum beneficiorum sequi,
sed ipsa, ait Seneca lib. 1. de benefic. cap. 1, nec est beneficium, quod
in quæstum mittitur, ut idem habet l. 4. cap. 14. Ita enim & mer-
cator urbibus prodest & mangi venalibus: sed omnes isti, qui ad
alienum commodum pro suo vēneunt, non obligant eos, quibus
prosunt. Nam ad beneficium dandum nos non adducere debet
cogitatio avara, nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens dare,
cùm dederit, & augere novis & recentibus vetera. 3. Illi, qui
favoris conciliandi gratiâ, aliquid donant, ut beneficiis sibi de-
vincitorum alibi experiantur auxilium. Sic Magnates & ad pup-
pim Reip. sedentes muneribus corrumpuntur. 4. Illi, qui ejus-
modi beneficiis, donis & largitionibus ad honores adspirare la-
borant. Ergò non liberalis dicendus erit Nero, qui initio sui
dominatûs ad popularem auram aucupandam vigesimam quin-
tam venalium mancipiorum partem remisit, testante Alexandro
ab Alexandre lib. 4. cap. 10: Aut quando idem animum indu-
xit, omni genere vectigalium sublato, propriam à populo benevo-
lentiam mereri, ceu de hoc scribit Pontanus in de Lib. cap. 38. Ita
rectè à Cicerone reprehenditur Gracchus, quod in magnâ anno-
næ caritate populo frumentum gratis distribuerit, ut ejus bene-
volentiam & suffragia nactus principatum Romæ acquireret.
5. Illi, qui propterea donationes instituunt, ut à petentium im-
portunitate liberentur, ne sordidi aut inhumani videantur. Hæc
enim beneficia sunt coacta atque ab invitis extorta.

A 3

Modus

7. §. Modus dandi facit, ut rectè detur, hoc est, ne temerè & absque judicio munera effundantur, sine discrimine pariter in dignos atque indignos. Beneficia enim, si detraxeris judicium, definiunt esse beneficia, & in aliud quodlibet incidunt nomen, eleganter loquitur Seneca lib. 1. de benef. cap. 2. Hujus loci est, quando Valerius Maximus ex lib. 4. cap. ult. scribit, Liberalitatis duos esse maximè probabiles fontes, verum judicium & honestam benevolentiam. Cùm ab his oritur, tum demum ei ratio constat. Ut autem modus dandi legitimè observetur, adeoque Liberalitatem rectè quis exercere queat, quinque observabis circumstantias: utpote Personam, Quantitatem, Qualitatem, Tempus & Locum.

8. §. Persona attendatur tum dantis, tum accipientis. Nam ut eleganter differit Plutarchus in libro de Socratis dæmonio: Beneficium non minus desiderat accipientem, quam dantem, & ex utrisque perficitur, honestumque tangit. Idem Seneca lib. 2. de benef. cap. 17. Beneficii ratio, nisi utrique personæ dantis & accipientis aptetur, nec ab illo exibit, nec ad illum perveniet, ut debet.

9. §. In personâ dantis presupponitur habilitas ad dandum; quædam n. personæ planæ sunt inhabiles ad dandum, ut pueri, impuberis, minorennes, furiosi, mente capti, prodigi &c. Deinde spectanda est mens & intentio, ut quis libenter absque molestiâ & cum quâdam animi jucunditate beneficium conferat; quia quod ex virtute proficiuntur, id sit cum voluptate, aut certè sine molestiâ & dolore.

10. §. Quoad personam accipientis, bene monet Philosophus lib. 4. Ethicorum cap. 1. non dandum esse quibuslibet sine discrimine, sed tantum iis, quibus oportet dare, hoc est, qui sunt indigni & digni. Nam, ut ait Seneca, beneficium dando accepit, qui dignis dedit. Non ergo liberales censendi sunt, qui homines malos, de emendatione nunquam cogitantes, mactant beneficiis; hâc enim ratione improbos in malitiâ confirmant, & benefacta perdunt. Quò pertinet illud Plauti in Poenulo: *Malo benefacere tantum est periculum, quantum bona benefacere.* Et illud En-

*mii apud Cicer. lib. 2. offic: Benefacta male collocata malefacta
bisor.*

11. §. *Nostris autem beneficiis juxta Romana eloquentia parentem lib. 1. offici: digni sunt (1.) omnes ii, qui sunt virtute prediti, id est, viri boni, qui beneficentiam recte aestimare norunt, grato animo cognoscunt, ejus memoriam posteritati commendant, adeoque virtute suâ largitatem promerentur. (2.) Qui propinquitate sanguinis aut aliâ necessitate nobis sunt juncti, ut Parentes, liberi, fratres, cognati, propinqui & domestici. (3.) Qui sunt politicae societate nobis juncti, ut amici, cives, vicini & populares. Qui bus omnibus eò usque gratificandum est, dum sine impietate & scelere licet, exemplo Periclis, qui ab amico rogatus, ut falsam ejus causam perjurio confirmaret, scitè respondit: Debeo operans amicis praestare, sed usque ad aram.*

12. §. (4.) *Qui de nobis bene sunt meriti; requirit enim id gratitudo, & ipsa lex naturæ postulat gratiam pro beneficio referre.* (5.) *His denique addimus egenos nostrâ ope atque auxilio egentes, sive sint indigenæ, sive peregrini. Utrisque Liberalitas eleemosynarum largitione succurrit, etiamsi fuerint indigni & improbi, modò non sint omnino homines incorrigibiles, contumaces & Reipub. perniciosi. Nam in eleemosynarum datione liberalis respicere debet, non tam ad hominum dignitatem, quam egestatem: ideoque propter humanitatem, saepe etiam indignis, maximum cum calamitate conflictantibus auxilium non denegat. Aristoteles cum aliquando reprehenderetur, quod eleemosynam improbo tribuisse, respondit: Non homini dedi, sed humanitati.*

13. §. *In quantitate observandum est 1. ut quisque tantum det, quantum facultates ferre queunt, cum liberalitas non ex marsupio & arcâ, sed ex animo judicanda sit. Potest autem dare multum ex animo, qui dat parvum ex marsupio. Ita ergò demus, ne aliis simus relaxatio, nobis afflictio, hoc est, ne alios diligendo nos ipsos negligamus; quia caritas ordinata à seipsâ incipit, & non patitur, ut proximum magis diligamus, quam nos ipsos. Hinc Seneca lib. 2. de benef. cap. 15. Respicienda sunt cuique facultates suæ, ne aut plus preseimus, quam possumus, aut minus. 2. Ut accipi-*
enti

enti succurratur pro necessitate & dignitate; ei enim, qui magis eget, plusque meretur, qui sanguine vel alià necessitudine nobis est conjunctior, plus est donandum, quām ei, qui minus eget, aut minus meretur, aut nobis ullā ratione est conjunctus. Ita liberalis majore stipe viduam, multorum parvolorum matrem, pluribusque indigentem, quām mendicum aliquem vagabundum donabit.

14. §. Circa qualitatem beneficiorum notandum est, talia esse danda, quæ accipienti profunt, & nullo modo nocent. Non est beneficium, si quis furioso donat gladium, cūm nocere queat. Utique cavebimus, inquit, *Seneca lib. 1. de beneficiis cap. II. ne munera supervacanea mittamus*; ut fœmina aut seni arma venatoria, aut rustico libros, & studiis aut literis dedito retia. Æquè ex contrario circumspiciemus, ne, dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus, sicut ebrioso vina & valetudinario medicamenta.

15. §. In exercendâ Liberalitate non oportet beneficium nimium procrastinare, sed tempestivè dare; bis enim dat, qui citò dat. Tarda beneficia non possunt multum prodesse accipienti, & videntur ab invitis profecta, atque ideo minus grata juxta *Ausonii*:

Gratia, qua tarda est, ingrata est gratia, namq;.

Cum fieri properat, gratia grata magis.

Præclarè Seneca lib. 2. de benefic. cap. I. Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundiâ.

16. §. Locus in dando servetur conveniens. Dandum est, ubi est honestum dare. Sed quia beneficia in alios conferuntur, vel honoris gratiâ, vel ad sublevandam egestatem & inopiam: ideo, quæ faciunt ad alterius honorem amplificandum, illa publicè & palam sunt conferenda, scilicet, ut testimonia virtutis & officii pluribus innescant: Contrà, quæ faciunt ad alterius egestatem sublevandam, clam erogabis, ne videaris ea vel ostentare, quod Christus in Pharisæis reprehendit, vel patefacere, adeoque alteri adstantibus aliis, ruborem incutere. Observavit id Arce-silaus,

maus, qui Ctesiboo, amico pauperi pauperiemque dissimulanti, cùm succurrendum duxisset, pulvino sacculum cum pecunia subjecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius, quam acciperet, *Seneca referente lib. 2. Benef. cap. 10.*

17. §. Hucusque de officio liberalis in dando: jam exponendum est ejus munus in accipiendo. Accipit ab iis, à quibus accipere debet & honestum est; quia in facultatibus acquirendis nemini facit injuriam, neque pecuniam adeò desiderat & magnificat, ut propter eam in alios velit esse iniquus & injustus.

18. §. Peccant hīc multi tam in excessū, quam defectū. In excessū homines avari per fas & nefas opes corradentes: iniqui judices, qui munera accipiunt, & corrupti se patiuntur, ut in iudicio aberrent: ii, qui propter lucrum turpe indignos ad officia promovent publica: illi, qui indebita ab hominibus extorquent, idque faciunt vel vi, vel fraude, vel vi & fraude simul. In defectū peccant, qui omnia munera honeste & sponte oblata respuunt, qui stipendia licita recusant, qui, hostibus devictis, spolia detrahere ambigunt.

19. §. Liberalis non est petax, id est, importunus, & molestus aliis in petendo & accipiendo; quia magis cupit aliis benefacere, quam beneficium ab aliis accipere. Liberalis cum aliis cogitat benefacere, non de alienis accipit, sed de suis facultatibus & preventibus. Nam secundum *Senecam lib. 1. de clementiā*, non est liberalis, qui de alieno est liberalis, sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit. Hinc *Cicero lib. 1. offic.* Syllæ & Cæsar's liberalitatem taxat, quod ex bonis proscriptorum erga amicos suos fuerint liberales, cùm, ut ibidem ait, pecuniarum translatio à justis dominis ad alienos non debeat liberalis videri. Nihil enim est liberale, quod non idem sit justum.

20. §. Liberalis rem suam familiarem non negligit, sed promovere & augere studet, honestis tamen licitisq; mediis, hunc in finem, ut habeat bona, quibus se suosque alere, aliis verò benefacere queat, postulante necessitate. Nam opes sunt instrumenta exercendæ liberalitatis, quibus qui destituuntur, & virtute destituantur necesse est. *Habenda est, inquit, Cicero lib. 2. off. ratio rei*

rei familiaris, quam quidem dilabi finere, flagitiosum est, sed ita, ut illiberalitatis avaricieq; absit suspicio: posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimurum est pecuniae fructus maximus.

21. §. Tandem de contrariis vitiis est agendum. In excessu Liberalitati opponitur *Prodigalitas* scilicet ratione dationis, in defectu ratione acceptationis: in defectu *Avaritia* ratione dationis; in excessu ratione acceptationis. *Prodigalitas* est vitium morale, quod peccat in excessu in pecuniis modicis dandis accipiendoq;

22. §. Gemina est hujus vitii acceptio; propria atque impropria. Quando propriè accipitur, illud denotat vitium, quo quis suas facultates temerè sine manifestâ, vel suâ, vel aliorum utilitate in quasvis res profundit, & sic seipsum quasi perdit; quia consumtis opibus non habet, undè se suosque honestè conservare, sustentare & ab inopiâ salvare queat.

23. §. Impropriè accepta sumitur pro luxuriâ, quâ nostras profundimus opes in voluptates, libidines, ludos, convivia, luxum vestium, largitiones, & similes alias turpes res vel actiones. Sic suo ambitu alia continet quam plurima. Hinc *Prodigalitas* audit *Simplex* & *Mixta*. Simplex est eorum, qui tantum peccant dando in excessu, id est, qui temerè absque ullo suo commode bona sua in res quaslibet profundunt ita, ut nihil ab aliis accipi-ant. Contrà mixta est eorum, qui non solum in dando modum excedunt, sed etiam in capiendo sunt injusti: hoc est, qui non solum temerè & inutiliter bona sua profundunt in voluptates, aliasq; res, in quas non oportebat; sed præterea aliis sua bona per vim & fraudem extorquent, atque sic per injuriam auferunt, ut habeant, undè aliis iterum sine mensurâ largiantur. Ergo non tantum sunt prodigi, sed etiam illiberales, avari, rapaces, intemperantes, injusti.

24. §. *Avaritia* est vitium morale, quod peccat in defectu in pecuniis modicis dandis & accipiendo. Hujus tria sunt genera. Primum est eorum, qui dando deficiunt, & in accipiendo moderatè se gerunt, neque per fraudem aliorum ad se trahunt opes, vel quia nolunt in aliorum reprehensionem incidere, vel quia metuunt, ne si aliena invadant, vicissim spolientur. Hujus generis nomi-

nominant *parcos*, *tenaces*, *viscosos*, *fondidos*, cum sumptus, etiam necessarios, facere recusent, non saltem in aliis juvandis, sed etiam propter seipso. De his dicitur in proverbio, quod ob exiguum lucrum etiam *asnum excoriārint*. Philosophus facit alius cuius mentionem, qui in divisione hæreditatis cuminum secari voluerit in duas partes, ne minus acciperet in hæreditate. Hinc dictus est *κυμιωπέρησ*, cumi sector. - Hæc vox post dicebatur de extremè avaris.

25. §. Secundum genus est eorum, qui non saltem in dando peccant, sed & in accipiendo modum excedunt, &, quacunque ratione possunt, per fas & nefas opes congerunt. Uno nomine dicuntur *αιχερεδεῖς*, turpi lucro dediti. Ad hoc genus referimus fœneratores, usurarios, mercatores, qui exiguas res magnâ pecuniâ divendunt. Pertinent huc lenones, aliquique, qui sordidas & illiberales artes quæstūs gratiâ exercent: item sicarii, prædones, fures, impii milites & similes, qui ob exiguum lucellum quævis opprobria & pericula subeunt & sustinent.

26. §. Tertium genus est eorum, qui & dando peccant, & accipiendo modum excedunt. Hoc genus avaritiæ priora multis excedit parasangis. Philosopho dicitur *ὁλόκληρος*, id est, perfectum & ex omnibus vitiis compositum; quia cuncta per fas & nefas ad se rapit, raptisque ita incumbit, ut nec sibi, nec aliis indè benefaciat. De hoc Cicero in oratione Quintianâ pronunciat, *nullum officium esse tam sanctum & solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat*.

27. §. Ergò quamvis nec prodigus, nec avarus dici queat bonus; quia tamen circa omnem virtutem aut excessus, aut defectus magis est reprehendendus, factâ diligentiori collatione horum vitiorum ad se invicem, appareat manifestè, avaritiam longè deteriorem esse prodigalitatem. Prodigus facilius potest corrigi, quam avarus. Ut taceamus, quod non raro in viam virtutis reducatur, si quis aliquando exactius deformitatem hujus vitiis ob oculos sibi ponat (quod exempla passim obvia demonstrant) certè ex prodigiis facti sunt homines frugi: adeoque sic decrevit prodigalitas partim ob etatem, partim ob inopiam. Avaritia

contrà difficulter, imò nullo fermè modo sanari potest; quia naturæ hominum implantata esse videtur, & cum ætate hominis magis crescit, tum etiam, ubi intemperantia & alia vitia decrescent. *Quò minus temporis*, inquit Cicero in Catone majore, *avaris restat ad mortem, eò plus querunt viatici.*

28. §. Avarus longius recedit à Liberalitate prodigo, qui promptior est in dando, quam accipiendo. Dare autem est principale liberalitatis officium. Prodigus pluribus prodest, avarus nemini, nisi tum, quando moritur; quia tunc demum incipit utilitas esse suis hæredibus, quibus bona sua relinquit. Prodigus non est improbus, sed stultus adeoque non tam ex malitiâ, quam stultiâ peccare dicitur. Contrà avarus callidus atque improbus, adeoque ex malitiâ peccat. Nam avaritia est senum, qui experientiâ usuque rerum abundant.

29. §. Sequitur *Magnificentia*, quæ servat modum in sumtibus magnis erogandis. Objectum sunt opes magnæ. Modus consistit in decoro. Hoc spectatur vel in ipsis sumtibus, vel in operibus. Decorum in sumtibus est; si convenient ei personæ, à quâ fiunt, cum non cuilibet competit, magnos facere sumtus, etiam si habeat, unde possit, nec in quævis opera magni sumtus sunt faciendi. Hæc virtus decet istos, qui non solum opibus honestè acquisitis abundant, sed etiam vel genere, vel virtute, vel dignitate & autoritate cæteris antecellunt hominibus, ita ut eorum status & conditio ipsi operi aliquem afferre queat splendorem.

30. §. Decorum in operibus est, si magnitudini sumtuum, qui fiunt, & personæ respondeant. Opus magnificentum ita comparatum sit, ut nemo iisdem sumtibus perfectius & splendidius opus facile efficere queat. In quo si peccatur, neque opus magnificentum, neque persona magnifica dici potest; tum quia ab alio superari facile poterit in eodem genere, tum quia decorum non servat.

31. §. *Opera* verò, in quibus decorum spectatur, vel sunt sacra, quæ ad divinam pertinent cultum, ut templa, altaria, imagines, statuæ, vestes sacrae, vasa pretiosa, redditus ecclesiastici, Academiarum, Collegia, Bibliothecarum & his similia: vel sunt profana, ea que

vel

vel publica, quæ ad publicum usum & ornamentum faciunt: ut
mœnia, propugnacula, nosocomia, theatra, porticus, thermæ,
pontes, triremes, aquæ ductus, ludi, spectacula, epulæ publicæ:
vel privata, quæ ad ipsum magnificum, vel ad ejus familiam spe-
ctant; ut ædificia privata, supellex aurea & argentea, privata con-
vivia, quibus propinqui, amici aut hospites excipiuntur, hor. i,
prædia, vestes & alia.

32. §. Nota, quod quinque species sint privatorum sumtuum.
Prima est eorum, qui sunt in ejusmodi res & actiones, quas in vi-
ta semel tantum, aut raro saepius, suscipimus: ut sunt nuptiæ, ho-
nores magistratus, consulatūs, Magisterium, Baccalaureatus. Se-
cunda est eorum, qui ab omnibus civibus, quibus per facultates
licet, solent fieri. Ex horum numero solemnia sunt convivia,
publica sacrificia, palestræ, spectacula, horti. Tertia est hospi-
talitatis seu sumtuum, qui spectant ad hospitum exceptiones &
honorificas dimissiones. Quarta ad dona magnifici refertur,
quæ debent esse splendida & magna pro ratione facultatum; ma-
gnifici enim proprium est, splendidum esse in muneribus & re-
munerationibus. Quinta est impensarum, quæ erogantur in
opera diurna. Cum primis ultimam hanc speciem referimus
ad domum, ornatumque domesticum, ut sunt ædes & varia su-
pellecia, tabulæ pictæ, lecti, cultelli, cochlearia, vasa, vestitus:
item animalium diversorum alitura. Quibus adde hortos, villas,
prædia & similia: item epitaphia & sepulcra, in quibus omnibus
magnifice & splendidè se gerit eosque facit sumtus, qui suis con-
veniunt facultatibus.

33. §. Ex his manifestum est discrimin inter has duas virtutes.
Liberalitas in sumtibus parvis, Magnificentia consistit in magnis.
Liberalitatis propria actio est dare: Magnificentia sumtus ma-
gnos in res magnas facere. Liberalitas generaliter est Magnifi-
centia, cum omnis magnificus sit liberalis, non autem omnis li-
beralis etiam magnificus. Liberalitas refertur tantum ad alios;
nemo enim potest dici liberalis erga se & alios: magnificentia
interdum ad nosmetipos, cum aliquis etiam in se & suos possit
esse

esse magnificus. Alius denique Liberalitatis, aliis Magnificentiae modus & finis est.

34. §. Liberalitatem ergo à Magnificentia distingui nemo negat. Num verò sit discriminem specificum, sæpe à diversis fuit quæsitum. Quidam urgent differentiam secundum magis & minus. Nonnulli, quod ad specificam differentiam quam proximè accedat, quamvis adeò exacta oppositio, qualem specificum discriminem requirit, non sit. *Gutkius Disput. Ethic. 7. q. i.* Differunt enim hæ duæ virtutes formalitate objecti. Licet convenient quoad sumptus; cum Liberalitas modicos, Magnificentia magnos moderetur sumptus. Hinc unitas objecti formalis, additâ hâc differentiâ, perit. Inter quæ a. est discriminem secundum magis & minus, inter illa in utroq; est convenientia. 2. Si Magnificentia esset pars Liberalitatis, sequeretur, ut ea quoq; vitia, in quorum medio sita est Magnificentia, partes essent, quæ adversantur Liberalitati. 3. Fines sunt diversi. Liberalis id unum spectat, ut prospicit iis, quos videt & egere, & dignos esse, quibus succurratur. Magnificus non tantum erga alios & quidem splendidius suam exercet magnificentiam; sed etiam erga seipsum. Jam, quarum virtutum fines proprii sunt divisi, eæ plus gradù differre necesse est. 4. Liberalitas consistit in datione & receptione: Magnificentia in solâ datione. 5. Denique ut multa fiunt liberaliter, in quibus nulla est Magnificentia; ita multa fiunt magnificè, in quibus nihil loci habet Liberalitas. Nam liberalis confert tantum pecuniam, quam aliis prospicit: Magnificus verò plura impendit, ut sumtuosus potius, quam dator dicatur. Hinc sequitur, virtutum illarum differentiam magis ad specificam, quam ad gradualem inclinare.

35. §. Proprietates magnifici sunt sequentes: (1.) Magnificus in faciendis sumtibus attendit decorum, ejusmodi ut faciat sumptus qui videantur tantum bene, rectè atque utiliter facti. (2) Opera magnifici debent correspondere sumtibus, & rursus debent respondere operibus, ita, ut si sumptus fuerint magni, opera quoque extimentur magna & tantis sumtibus digna. (3.) Facit sumptus non ostentationis, sed honestatis gratiâ; Hic enim finis in omnibus

bus virtutum actionibus est præcipuus. (4.) Facit sumptus non cum molestiâ aut difficultate, sed cum quâdam animi oblectatione & voluptate. (5.) Facit sumptus copiosè absque ullâ suspicione parsimoniae; quia nimis exacta sumtuum & rationum subductio est indicium hominis avari & sordidi, magis pecuniam, quâm operis elegantiam amantis. (6.) Observat conditiones Liberalitatis, ne quid committat, quod sit contra decorum personæ, operis, loci, temporis & similium circumstantiarum. Differt tamen à liberali, quod magnificus semper observet splendorem. (7.) Iisdem sumtibus opus aliquod elegantius & splendidius potest efficere, quâm quisquam aliis; novit enim, quod in unoquoque opere elegans, & quæ istius virtus sit & præstantia. Nam operis præstantia non simpliciter ex magnitudine & multitudine sumtuum, sed ex justâ magnitudine, perfectione atque elegantiâ, quæ ipso aspectu intuentibus admirationem affert, æstimanda venit. (8.) Diligenter considerat, in quas res sumptus erogare velit; non enim opes suas in quaslibet res temerè impendere solet. (9.) Rationem habet suæ personæ suarumque facultatum. Ut enim hæc virtus omnibus hominibus non competit, ita & facultates nostras superare non debet; quia contra decorum esset, majores velle sumptus facere, quâm facultates ferrent.

36. §. Magnifici ergo non sunt 1. homines pauperes, plebeii, idiotæ, obscuri, ignobiles, & in nullâ dignitate constituti, quamvis opibus polleant. 2. Illi, qui suas opes malis artibus & rationibus acquisiverunt; hi enim, quoties suis operibus conantur aliquam magnificentiam ostentare, ab aliis deridentur, horum quod persona operi nullum afferat splendorem. Martiales deridet tonforem Lycinum, qui marmoreum sepulcrum sibi exstruere cogitabat. Thebani nolebant urbis suæ mœnia sumtibus meretricis restituiri. 3. Papa, Cardinales, Episcopi & alii, qui de bonis Ecclesiasticis volunt ostentare magnificentiam, eaque Reges & Principes superare conantur. Nam illa bona sunt tantum elemosynæ mendicatae, quæ non in splendorem, sed pios usus conferri debebant.

Magni-

37. §. (10) *Magnificus sumtus facit in res necessarias, in diuturnas, quarum longus potest esse usus.* Cicero lib. 2. off. eos reprehendit, qui sumtus faciunt in res, quarum memoriam aut brevem, aut planè nullam sunt relicturi. *Alexandro M. vitio datum fuit, quod cuidam potatori, qui cæteros potando vicerat, talentum auri donaverit.*

38. §. (11) *Observat discrimen personarum & rerum, in quas magnas sumtus vult impendere.* Ita sumtus moderandi sunt, ut & personis & rebus convenient. Igitur quod major erit magnificus, eò majorēs faciet sumtus. *Sic Regem maiores decent, quam Principem: maiores Principem, quam Comitem.* Nam alia Magnificentia convenit Regi, alia Principi, alia Comiti, alia nobili. Ita maiores sumtus fiant in excipiendis legatis Imperatoris aut regis, quam Principis, Comitis aut civitatis alicujus. Sic maiores sumtus sunt faciendi in exstruendo Templo aut propugnaculo, quam in ædificandâ culinâ aut exornando stabulo.

39. §. (12) *Magnificus ubique spectat id, quod est maximè magnificum, ita ut non facilè queat ab eo, qui hâc virtute non est præditus, in sumtibus decenter faciendis superari;* quia magnificus habet scientiam decori, & potest considerare, quinam sumtus cuiqui operi maximè convenient, ita, ut etiam in rebus parvis, quæ alioquin videntur exiguae, parvæ & quasi pueriles, magnificantiam tamen declarare queat. *Quælibet enim res in suo genere, etiamsi videatur esse parva, habet aliquid, quod est magnum, id est, perfectum, elegans & pulcrum.*

40. §. Extrema Magnificentiae sunt Luxus & Sordes. *Luxus est vitium morale, quod peccat in excessu circa sumtus maiores ergandos.* Dicitur alias inscitia & imperitia decori; quia absque judicio, ratione & scientiâ honestatis magnificus videri vult. Tripliciter hâc peccari potest. 1. *ratione formæ*, cum magni sumtus fiunt ineptè & præter decorum. Cicero lib. 2. off. culpat Romanos, quod epulis, viscerationibus, gladiatorium muneribus, ludo-rum venationumque apparatu sumtus profundant. Megarenses in scenis & ingressu theatri solebant purpuram substernere. 2. *Ratione materiae*; cum magni fiunt sumtus in res viles, futilles & inuti.

inutiles: aut, si magni fiunt ibi, ubi minores sufficerent: ut quis soleis ex auro equos ornet, aut coquos vestiat purpurā, aut nosocomia ē marmore exstruat. Pertinet huc exemplum Antonini Severi, qui equo suo viventi aureum simulacrum & mortuo splendidam sepulturam fieri jussit. 3. *Ratione finis*; ubi ostentationis gratiā magni impenduntur sumtus.

41. §. *Sordities est vitium morale, quod peccat in defectū circa sumtus magnos erogandos.* Et hīc tripliciter peccari poterit: 1. quando opus aliquod magnificè cōptum ob nimiam parsimoniam nequit ad suum splendorem perduci. Ita enim omnis priorum sumtuum totiusque operis gratia perit. 2. Quando fiunt sumtus cum aliquā tergiversatione & molestiā; id enim est indicium alicujus avaritiæ, quod avari sit cum molestiā dare. 3. Quando sumtus non fiunt largiter, copiosè & sufficiehter pro ratione ipsius operis.

Quæstiones.

An Liberalitas cadat etiam in pauperes?

1. § Negativa videtur suaderi posse, quod nervis rerum gerendarum destituantur. Sed affirmativa verior. Nam ubique ponitur fundamentum hujus virtutis in actū, ibi quoque virtus ponitur. In quibusdam pauperibus ponitur fundamentum Liberalitatis. Nam fundamentum hujus virtutis non est quantitas doni, sed qualitas dantis, non illius magnitudo, sed animi promptitudo & benevolentia; qui enim dat pauca manū, promptā tamen mente, is plus dat, quam qui donum splendidum confert manū, animo vero invito.

2. §. Unde s̄apē fit, ut beneficium, quod secundum rei quantitatē minus, affectū sit longē majus illo, quod secundum rei quantitatē majus est. Testatur id paupercula illa vidua, quæ duos tantūm obulos in gazophylacium immiserat, nihilominus iudicio ipsius Christi plus dedit, quam omnes Pharisei.

3. §. Et quamvis accidat, ut pauper quispiam reperiatur planè omnibus rebus destitutus, ita ut nihil habeat, unde liberalitatem exercere queat: interim tamen, quia ad animum, tanquam ad basin, est respiciendum, nihil prohibet, quod minus talem fun-

C damen-

amentaliter liberalēm rectē pronunciemus: quippe ejus mens
ita est comparata, ut in bonis externis, si suppeterent, moderate
versaretur.

4. §. Largimur quidem, quod splendor liberalitatis clarius
enitescat in iis, qui fortunæ bonis afflunt, quam quibus res est
angusta domi: tamen cum & pauperes possideant opes, quamvis
exiguas, utiq; de iis elargiri queunt.

5. §. Ad argumentum initio allatum respondent, committit
fallaciam à dicto secundum quid &c. cum neque major, neque
minor simpliciter sint veræ. Hinc dicunt 1. solum objectum non
efficere virtutem, sed requiri etiam applicationem legitimo animo
ad objectum dirigendum factam. 2. Pauperes non in totum de-
stitui nervis rerum gerendarum, neque illis deesse objectum libe-
ralitatis & fundamentum actionis; adeo enim animus promptus
dandi, adsunt aliquales divitiæ. 3. Illos, qui prorsus nihil dant,
animum autem dandi habent, non quidem formaliter & actu se-
cundo liberales nominari, posse tamen dici fundamentaliter &
actu primo. Quæ illationes quanti sint ponderis, in conflictu
videbimus.

6. §. De extremè pauperibus oritur dubium, quod ea, quæ
hactenus proposuimus ex Ethicorum scriptis, suggerunt. Docent,
ut ex paragrapho apparet precedente, quod non solum objectum
hanc efficiat virtutem, sed etiam requiri applicationem, quæ fit
legitimo animo ad objectum dirigendum. Argumentum neci-
mus tale: Si Liberalitas consistit in objecto atque in animo ob-
jectum legitimè dirigente, sequitur, eum, qui intentionem benefa-
ciendi tantum habet, non simul autem objectum quoque, non
esse liberalem. Ratio est; qui natura Liberalitatis distrahitur,
cum intentio tantum sit animi. Prius est verum. E. etiam poste-
rius. Vel hoc modo: Ubiunque non est objectum & funda-
mentum Liberalitatis, ibi neque applicatio fieri potest: In extre-
mè paupere &c. Minor patet; quia fundamentum hujus virtutis
est promptitudo animi cum objecto, quomodo cunque etiam se-
habeat, modò sit aliquale, conjunctum. Satis hoc confirmat vi-
duæ, quod satis exaggerant, exemplum.

7. §. Ut tacemus de virtutum actionibus, quæ non in inten-
tione,

tionē, sed in externis consistunt actionibus. Quomodo enim possimus scire, tibi esse intentionem bene agendi, nisi externo hoc præstiteris actū. Sic avarum vocamus, quod pecuniā non utatur; hæc enim in usu consistit. Quidnī etiam de virtute? quia medium atque extreūm in eādem versantur materiā. Ergò sequitur extremè pauperem non esse liberalē, adeoque neque terciam responsonem paragraphi quinti habere locum.

Quæstio secunda.

An aliquis possit esse liberalis in seipsum?

1. §. Affirmatīvam probant hoc modo: Quicunque moderatur pecunias in usum propriū, ille in seipsum est liberalis. Ut aliquis in seipsum est temperans, qui moderatur voluptates in gustū & tactū; ita etiam liberalis in seipsum est dicendus, qui moderatur pecuniam in propriū usum. At qui necessaria de suo sibi non denegat, is moderatur pecuniam: Ergò ille in seipsum liberalis est.

2. §. Verū negativa est verior; nemo enim potest sibi aliquid dare & simul à se aliquid accipere. Dare enim & accipere sunt correlata, quæ in unum subjectum eodem respectū non cadunt. Ut enim pater non est suus filius, quem generat: ita etiam liberalis non sustinet respectum accipientis, cui donat.

3. §. In argumēnto neganda est minor unā cum probatione. Distinguimus inter virtutes, quæ alios respiciunt, ut est Liberalitas, & virtutes, quæ nos ipsos respiciunt, ut est Temperantia. Ergò sic non est omnium par ratio: imò patet indè, quod nullus in semetipsum liberalis esse queat; quia liberalitas est virtus communicativa, quæ naturam exercet in alios. Quapropter nemo potest dici in se liberalitatem exercuisse, sed potius de bonis suis sibi profuisse.

Quæstio tertia.

Utrum etiam indignis & improbis aliquid sit dandum?

1. §. Nihil equidem malis est impertiendum, quatenus sunt tales, ne beneficiis nostris abutantur ad peccatum, & in malitiā suā magis confirmantur. Huc spectat illud Siracidis cap. 12. v. 6. Benefac humili, & non dederis impio, prohibe panes illi dare &c.

Igitur

2. §. Igitur quamvis concedamus, in benefaciendo pauperes, probos & dignos improbis & indignis longè esse præferendos, quando utrosq; largitatis dextrâ provehere haud possumus; quia sic illos in bonitate confirmabimus & simul indigentia humanæ subveniemus. Quòd si tamen citra bonorum nostrorum dispensum fieri potest, non omnes omnino benignitatis fontes malis & inimicis nostris in casu extremæ indigentia occludamus.

3. §. Id inter cætera requirit mandatum Christi Matt.5.v.44. Luc.6.v.27. 2. Exemplum Dei, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Huc referri poterit istud Senecæ lib. 4. de benef. cap. 25. Gratuitos habemus Deos; si Deos quidem imitaris, da & ingratis beneficium, nam & sceleratis sol oritur. 3. Sors ipsorum. Non enim improbitas rogantis, sed potius miseria illorum spectanda est, quòd indigentia ipsorum suppleat vicem dignitatis.

Quæstio quarta.

An ex rebus malè partis fiant eleemosynæ?

1. §. Affirmativam tenet Thomas Aquinas. Huc inclinat Belarminus Tomi.4.l.3. de bonis operibus. Distinguit inter tria genera malè partorum: statuit tamen, si nec in dante, nec in accipiente injustitia est, & ideo lucrum ejusmodi non injustum, sed turpe ac sordidum appellatur, quale est histrionum, meretricum & lenonum.

2. §. Sed negativa est melior. Nam 1. non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona. Ergò neque opes per lenocinium aut quæstum meretricium sunt corradendæ, ut ex iis eleemosynæ dentur. 2. Eleemosynæ debent fieri ex propriis, ut præter alias rationes patet ex Tob.4. v.7 Prov.3.v.9. Bona autem illico modo acquisita sunt aliena. Ergò. 3. Quicquid jure non possidetur, ex eo legitimè non datur eleemosynæ; quia persona dans debet habere justum dominium ejus, quod erogare vult. Hinc Deus Deut. 23.v.18. noluit acceptare mercedem prostibuli aut pretium canis; utrumque n. abominatio est, ut additur, apud Deum tuum. Pecunia male parta jure non possidetur, neq; legitimo acquiritur modo. E. ex illa eleemosynæ fieri nequeunt.

F I N I S.

05 A 2391



boma

80.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-575751-p0024-4

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

Ex Practicâ Philosophia
de
Liberalitate & Magnificentia,
PRÆSIDE
M. MICHAEL WENDELERO,
Facult. Philos. Adjuncto,
disputare conabitur
HECTOR PHILIPPUS Weisse
von Limburgt /
In Auditorio minore ad d. 16. Octobr.

WITTEBERGÆ
Excudebat MICHAEL WENDL,
Anno d[omi]ni M[ille] CXXXIX.

